



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 6. Res Gallicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A. C. 1313.

§. V.

S. Petrus Cœlestinus inter Cœlites refertur.

*Sup. lib 90.
§. 47.
Boll. to. 15.
p. 441. 478.*

Quo tempore Papa Lugduni erat, ut coronaretur, a Rege Philippo Pulchro magnopere rogabatur, ut Cœlestinum V. antecessorem suum in numero Sanctorum reponeret. Idcirco de sententia Cardinalium Archiepiscopum Neapolitanum ac Episcopum Valvensis in illius vitam & miracula inquirere, deinde informationum tabulas per Cardinales discuti jussit: & post Viennense concilium Avenionem reversus rem decidit in senatu secreto primum, dein publico coram multis Episcopis, & omnibus Romanæ curiæ Ministris. Denique 5 Maji anno 1313 in cathedrali templo Avenionensi Petri Cœlestini memoriam solenni ritu consecravit, ac die mortis 19 Maji celebrari voluit.

§. VI.

Res Gallicæ.

Cont. Nang. to. II. Spicil. p. 649. 478. Bal. v. to. I. p. 20. 78. Rex Philippus Pulcher die Pentecostes, qui hoc anno 1313 erat tertius Junii, magnum habens senatum in ordinem Equitum ibi cooptavit tres filios suos Ludovi-

dovicum Navarræ Regem, Philippum Pi-
ctavii & Carolum Marchiæ Comites; in-
super Hugonem Burgundiæ Ducem,
Guidonem Blesarum Comitem, plures-
que alios Optimates. Sequentē die
Mercurii Rex, tres filii & duo fratres e-
jus Carolus Valesiæ ac Ludovicus Ebroi-
carum Comites, Rex Anglorum Eduar-
dus huic ceremoniæ præsens, multi-
que Regni Proceres Crucem acceperunt
e manu Cardinalis Nicolai Frovillii Le-
gati hanc ob causam in Franciam missi:
ut docet mandatum eodem anno 10
Febr. scriptum, in quo Papa dicit Regem
Philippum sibi spondisse futurum, ut
cum filiis & fratribus suis crucem indue-
ret Palæstinam recuperandi gratia. Tum
sacrum classicum palam canebatur in
Gallia: & ideo Trojæ ludi seu eque-
stres pugnæ in Germania, Francia, & An-
glia prohibebantur per Papæ litteras 14
Sept. editas.

Sæcul. XIV.
A. C. 1313.

Rayn. 1313.
n. 2.

n. 8.

Postquam Regina Navarræ Joanna
anno 1304 posuerat vitam, Guichardus
Trecensis in Campania Episcopus diceba-
tur eam veneficio necasse. Fuerat mo-
nachus Cellæ prope Trecas, dein Abbas
eodem in coenobio Benedictino. Hanc
ob accusationem Papa Clemens Archi-
episcopum Senonensem iussit Episcopum
sine populi offensione capere: tum per
aliā epistolam 9 Aug. 1307 datam ei-
dem

Bal. v. to. I.
p. 14. 593.

to. 2. p. 102.

Sæcul. XIV.
A.C. 1313.

dem Archiepiscopo, Aureliæque & Antistiodori Episcopis præcepit, ut ex ipsius auctoritate in hanc rem summam & sine iudicii specie inquirerent, ac informationum tabulas ad ipsum mitterent. Ante aliquot secula id mandatum visum esset supervacaneum, quia Senonensis Archiepiscopus & Suffraganei ejus erant legitimi Iudices Episcopi Trecentis. Videbatur nocens ex verbis quorundam falsorum testium: & dominica ante festum S. Dionysii sexta Octobris an. 1308 Clerus ac populus Parisiis in hortum regium ea de causa convenit, cum Episcopus jam comprehensus nulla clericalis privilegii sui ratione habita in arcto carcere Luparano custodiretur. Ita captivus amplius quadriennio hæsit usque ad annum 1313, quo innocentia ejus agnita fuit ex confessione cujusdam Lombardi Noflii nomine Parisiis aliud ob crimen in furcam acti.

Nang. p. 651

§. VII.

Mors Imperatoris Henrici.

Imperator Henricus, postquam coronatus fuerat, relicta Roma in Hetruria substitit oppositurus se partibus Guelforum contra se foederatis ac per Regem Neapolis Robertum fultis. Quin etiam hunc in Principem 25 Apr. 1313
ten-